


DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO.
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſeptimâ Martii anni M. DCC. XXXV.

M. JACOBO-ANTONIO MILLET,
Rei Herbariæ Profeſſore deſignato, Doctore Medico, Præſide.

An Legumina præ cæteris alimentis ſalubria?

I.



FALSO queritur, inquit Salluſtius, de natura ſua genus humanum, quòd imbecille atque ævi brevis ſit. Hoc non tam à morbis repetas quàm à morborum cauſis; has inter non ultimas tenent alimenta, alimentorumque ſpecies diverſæ, quæ nunc proſunt, nunc nocent. Hinc enim non rarò accidit ut quæ palato magis ſapiunt alimenta, ea guloſis placeant magis in ſanitatis vitæque diſpendium. Alimentum in genere illud eſt omne quod nutriendo augendove corpori humano à Præpotente Deo creatum eſt atque deſtinatum. Sunt alimentorum ſpecies, quemadmodum indole à ſe invicem quàm diverſiſſimæ, ſic numero vix numerabiles. Suppeditantur vel ab animalibus vel à vegetabilibus. Vix quidquam alimenti è mineralium regno homini ſuppetit, niſi forſan pro alimento quadantenùs habeatur quod digerendis diſtribuendiſve

alimentorum quaquaverſùm moleculis inſervit atque famulatur. Animalium carnes, viſcera, oſſium ergaſtulo medulla cerebraque incluſa, imò oſſa ipſa arte præparata in alimentum cedunt. Animalium lac, non ſecùs ac è lacte confectum butyrum & caſeus nutrimenti præbent non parum. Nec deſunt qui extractum ex animantium venis ſanguinem in ſui alimoniam feliciter transferant. Piſces, ſivè teſtacei, ſivè ſquammoſi, ſivè marini, ſivè fluviatiles reparando corpori humano ſatis idonei eſſe deprehenduntur. Jam ex vegetabilium familiâ quid non utilitatis in homines redundat? Quàm varium alimenti genus in mortalium commodum elicitur! Arborum, fruticum, ſuffruticumque fructus, ſine alterius acceſſione alimenti, ſuſtentandæ humanæ machinæ non ſemel inſervierunt. Frumenta è quibus conficitur panis, legumina ſtrictè dicta ritè præparata corpori tum reſtaurando tum extendendo non leve conferunt ſymbolum. Deus bone, quot quamque multiplicia fovendo, tutandoque generi humano creaſti præſidia! Sed ne quis hallucinetur, aſſerimus has inter multiformes alimentorum ſpecies iis palmam deberi quæ cæteris faciliùs digeruntur quæque in partium nutriendarum vacuola copioſiùs & minori negotio truduntur.

I I.

LEGUMEN Romanis à legendo ſive eligendo nuncupatum eſſe arbitrantur authores non pauci. Græcis ὄσπρεον, χέδροψ, φακὴ, λάχανον audiebat. Quamvis vox φακὴ apud Athenæum pro lente ſignificanda uſurpari cenſeatur. Leguminum nomen apud varios authores varium quiddam videtur innuere: nos autem, ut genuinus nomini ſenſus conſtet, pro leguminibus habemus quidquid ex plantis præſertim herbaceis accerſitum, deglutitur, digeritur, nutrit. Hujuſmodi ſunt radices, ut Paſtinacæ, Dauci, &c. bulbi, ut Cœpæ, Porri, &c. Turiones, ut Aſparagi, Lupuli, &c. folia, ut Lactucæ, Braſſicæ, &c. ſemina, ut Oryzæ, Hordei, &c. Putabit non nemo in leguminum cenſu duntaxat reponi debere plantas illas, quarum, folia cum ſeminibus, radices cum caulibus, bulbi demum cum cæteris plantæ partibus promiſcuè quoad nutriendi virtutem confunduntur? Hallucinatur ille. Nam in his leguminibus ut in Solano eſculento, pars una nutrit; in illis, ut in lactuca, omnes plantæ partes nutriunt. Hujus diſcriminis rationem quæris? Plantæ ſuccus nunc in floribus elaboratior, unde major florum virtus medica ut in Solano, de quâ hic non agitur; nunc in bulbo Solani minor quidem virtus medica, ſed major nutritia; at in ſingulis Lactucæ partibus nutriendi vis eadem. Primævos homines leguminum uſui ſemper aſſuetos diù multumque vixiſſe niſi memoriæ proditum eſſet, tamen vero ſimillimum eſſe judicaretur; cùm nec animalia cujuſvis generis in uſum trahere noviſſent, aut terram colere, aut alio quovis alimento niſi leguminibus uti. Hinc infer quòd à morbis ab alimentorum indole oriundis idcirco fuerint immunes, quoniam leguminum, quæ morbos averruncarent, uſus, tutam illæſamque ipſorum ſanitatem conſervavit; an non hoc ſat probare videtur altum antiquorum Medicorum de Therapeutice ſilentium? Vis addam Pythagoram ejuſque aſſeclas non niſi leguminibus veſci nutririque conſuetos; quamvis non ignoraſſent cæteris hominibus aquatilium terreſtriumque animalium carnes eſcam eſſe familiarem?

III.

NORUNT omnes nullum eſſe alimenti genus quod alere non poſſit. Verùm alenda corpora quàm inter ſe diſcrepant vel ipſius faciei lineamentis atque ex-

ternâ ſpecie, tam à ſe internâ partium texturâ & robore diſſentiunt. Ex hoc fonte quid concludimus, inquies? concludimus eos quorum interior partium textura & robur ad ſe propiùs accedunt, iiſdem ferè alimentis, ſi ſalubria deprehendantur, uti poſſe, modo idem aër, exercitium, aliaque id genus nihil ponant obicis. Verùm hoc, ut aiunt, corvo cùm ſit rarius albo, quid reſtat niſi ut de alimentis affirmemus alia quidem alimenta ab aliis rectè digeri; alia vix aut perperam; pauca, quæ ab univerſis hominibus æquè digerantur. Eſt hæc leguminum præcipua dos ut ab univerſis hominibus æquè digerantur & in nutrimentum copiosè faceſſant. Nam dentibus commolita ſuæ favent diviſioni eò liberiùs, quò laxioribus conſtant partibus, & ſucco plerumque turgent, quo ſalivæ parcitas ſuppletur: deinde in Ventriculum delapſa, à Ventriculi muſculorumque vicinorum compreſſione eò ſubiguntur faciliùs quòd nihil in ſe contineant quod tritui ſit repagulo; nihil, quod cum ſucco gaſtrico non concurrat ad partium nutritiarum comminutionem atque evolutionem. Nam ſalia, quibus abundant, ab humido leguminoſo diſſoluta chyloſas partes undique invadunt, ut vix priùs ventriculi fundo inſederint, quàm chylus indè exurgat multò elaboratior atque illo ſubtilior, qui è cæteris alimentorum ſpeciebus elicitur: hinc per Pylorum interjecto brevi tempore in Duodenum delapſus multò adhuc ſubtilior dilutiorque evadit. Hinc collige quanta Chyli ſic elaborati portio per Duodeni vaſa chylifera libero pede feratur, dum pars chyli reſidua ulteriùs adhuc ſubacta inteſtinorum Jejuni Ileique motibus eum adipiſcitur tenuitatis gradum, ut tota ferè vaſorum lacteorum hiantibus ſeſe inſinuet oſculis, eò faciliùs, quòd tenuiſſima eſt; eò promptiùs, quòd ab inteſtinalium vaſorum ictibus liberiùs propellatur. Hinc Meſenterii canaliculos canalemque Thoracicum è leguminibus confectus Chylus dum ingreditur, eò celeriùs ad venam Subclaviam & Cor defertur, quò mitioribus conſtat partibus, rigiditate & denſitate deſtitutis: à Cordis demum antlia quaquaversùm expulſus an non minore negotio, an non copioſiùs, quàm chylus ex aliis ortus alimentis, partes nutriendas nutriet?

IV.

NUTRITIONIS neceſſitatem à partium corporis humani quotidiè avolantium jacturâ repete: huic partium jacturæ ſuperſunt ubique vacuola, quæ, niſi intra certum temporis ſpatium impleantur, torpent vaſa, languent muſculi, evolvuntur ſalia corporis acria, quæ non tantùm in hoc caſu non nutriunt, ſed vellicant roduntque cæteras partes, unde major ſubſtantiæ jactura, quâ corpus demum univerſum macie labefactatum corruat, neceſſum eſt. Hæc ut præcaveatur calamitas, alimentis eſt opus, quæ cordis arteriarumque oſcillationibus ad loca nutrimenti indiga trudantur: hanc autem truſionem motûs legibus ſic fieri intellige. Pars Chyli nutritia ſanguinis fluento circumacta & ad ultimas arteriarum propagines propulſa motûs communis peripheriam occupat, dum pars maſſæ ſanguineæ majorem habens motûs quantitatem centrum tenet, ac proinde per arteriarum axes ad apices tendit. Cùm autem arteriarum latera nuſquam non ramulos à ſe invicem hinc illinc divaricantes emittant, hinc conjice chyli ſubtiliſſimam portionem in horum ramulorum oſcula adigi, quòd liquor, qui in centro vaſis movetur premat ad latera ac proindè ulteriùs urgeat quidquid lateribus eſt proximum. Quòd ſi in ipſis arteriarum apicibus diverſarum diametrorum vaſa reperiantur, diametros anguſtiores ſubire cogetur portio chyli nutritia, utpote maximè comminuta; unde hujus generis vaſa nuncupantur Secretoria, quòd chylum replendis va-

cuolis idoneum à ſanguine ſecernant & partibus nutriendis applicent, ubi pro ſuperficierum vix narrabili multiplicitate ſtatim coeunt ac quaſi gluten efformant, quo partium amiſſarum diſpendium reſarcitur. Pro Chyli majore minoreve comminutione, major minorve vaſa ſecretoria ingrediendi facilitas; major etiam minorve chyli copia vaſa ſecretoria ſubit. E leguminibus exiſtit Chylus, qui faciliùs, oritur, qui copioſiùs, vaſa ſecretoria ſubeat ac proinde qui faciliùs nutriat atque copioſiùs.

V.

CONSTAT ex dictis è leguminibus Chylum exuberare præ cæteris alimentis, tum laudabilem, tum copioſum. Forſitan recalcitrabit lacticinii quiſpiam amans aut aſſecla. Defendet hic, Lac & facilius digeri & diſtribui copioſiùs, quandoquidem chylus cùm ſit, viſceribus digeſtioni ſervientibus nec faceſſit negotium, nec non inde ad partium nutriendarum vacuola ſic tranſmittitur, ut vel totum vel ferè totum nutritioni impendatur. Hunc nodum hoc ſolvimus modo. 1°. Lac omnibus hominibus non convenit, quippe quod morbis anſam non raró præbuiſſe atque etiamnum præbere deprehendatur. Quoties enim cùm ſucco gaſtrico & inteſtinali vitiatis & à craſi ſuâ degeneribus miſcetur, toties morbum parit, quin imò plurimos è medio ſuſtulit. 2°. Lac non tantùm hominibus præſtat nutrimenti quantùm legumina, unde minùs copioſè nutrit. Butyrum pro obſonio; Caſeus veró pro nutrimenti ſpecie peſſimo proximâ habeantur. Carnium ex animalibus terreſtribus petitarum uſum leguminibus præfers? Perpende 1°. an carnes omnibus æquè competant. Quot enim ventriculi carnium eſu gravantur? Quot, quorum inteſtina carnibus ſubigendis & emulgendo proinde Chylo prorſus ſunt imparia? 2°. animadverte quam plurimos eſſe quorum ſanguis ex evoluto carnium ſale volatili ſic exæſtuat, ut inde vaſis ambientibus criſpatura inducatur, viſcerum infarctus gignatur, in nonnullis febris accendatur. Quidquid ſit, ex ipsâ vaſorum criſpaturâ intellige vaſa nutrimenti ſecretoria rigeſcere. Reliquum igitur eſt ut portio chyli nutritia vel in deſtinata nutritioni vix admittatur receptacula, vel tota ſaltem non admittatur, unde refluat neceſſum eſt. Vides quid ex terreſtribus; auſculta quid ab aquatilibus oriatur aliquando animalibus incommodi. Piſces, animalia cùm ſint, in ſuo ſtatu diutiùs quàm legumina perſtant atque perſeverant. Quid inde? Reſpondemus, juvenibus illis oleum viſcoſum ac lentum; ſenibus ſal muriaticum præſertim marinis tantâ copiâ ineſſe ut fibrarum hinc erethiſmus, illinc nimia laxitas oriantur, unde malum anceps. Recenſita jam carnium vitia procul à leguminibus exulant. Nam cùm partibus conſtent aquoſis nitro-oleoſis, pauco ſale volatili & terrâ; ſequitur nihil in ipſis reperiri niſi lene, naturæ accommodum, diſſolutioni aptiſſimum, diſtributioni nutritionique maximè idoneum, ſi quidem nec qualitate ſolùm, ſed quantitate quàm optimè nutriunt, unde concludimus.

Ergò Legumina præ cæteris alimentis ſalubria.

Proponebat Pariſiis, BARTHOLOMÆUS MURRY, Laonenſis Hibernus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1735. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1735.